



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Ambrosivs Ep. 7. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

lacrims pscere, anhelare gemitibus, precibus orare, jejuniis cogere; domo interea nisi ad templa, numquam pedem efferre; verbo ut genibus ita vitæ consuetudini callum obducere, jamque raro miraculo inter medias mundi turbas sola agere, & patrias ædes sibi in monasterium vertere. Constitit interea corpusculo etsi tam malè habito, suus nihilominus vigor & integra semper valetudo, ut videres non tam asperitatem vitæ, quam delicias obesse. Obiit anno partæ salutis cccc. l. Vitæ laudatorem habuit Hieronymum, imitatorem quem nunc. *Ex D. Hier.*

*Beati qui in Domino vigilant cum sobrietate & castitate: protegentur enim ab eo in iudicij die, & ut sponsi comites atque amici cum gaudio & lætitiâ eum sequentur & aspicient. S. Ephrem in Beatitud.*

S. AMBROSIVS EP. 7. Decembris.

**A**MBROSII infantis osculum apes ajunt infedis, verissimos ejus eloquentiæ vates. Depromptit sanè, cum libuit, ore suo melos, & hoc ad eum ipsum Augustinum inescavit, ut qui à Manichæis venenum hucusque hauserat, ex ore deinceps AMBROSII mel legeret. Episcopum Mediolani prodigiosus præco infans proclamavit. Dicenti ad populum astare bonum Angelum ipsi hæretici viderunt & inviderunt. Inter hos multum illi negotii Arriani, plus Imperatrix Iustina, latrones, magisque, plurimum demon malus fecit, sed incassum omnes. Majestatis Pontificiæ memor, neque majestatem Imperatoriam exhorruit. Itaque Theodosium ob eandem Thessalonicensem publicè reum non nisi post publicæ penitentis animi signa templo pedem permittit inferre, illud



illud Davidis exemplo se timenti inclamans, Securus es errantem, sequere poenitentem. Vidit igitur tunc orbis caput suum ante pedes Episcopi jacere, numquam ita extollendum, nisi ita demisset sese. Porro AMBROSIVS obsessos ab orco libertati, infantem demortuum vitæ reddidit, Divorum multorum ossa è tenebris in lucem gloriosâ pompâ transtulit, ipsius verò calumniatores morte subitâ vindex Deus abstulit. Moriturum cælesti voce excitus Honoratus Epil. sacro pane refecit, morientem verò blandum arridere Christus visus est, arrisurus etiam nobis in morte, si flentes in vitâ viderit. Ex

Paulino.

*Cum diluculo surgimus, debemus, priusquam procedamus ex cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus seculi, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodivit. Et enim ego securus dormiam, ille vigilat. S. Ambr. serm. 43.*

CONCEPTIO B. M. V. 8. Decembris.

**S**peculum sine maculâ ostendimus, VIRGINEM Conceptam. Festi hujus diei originem, quæ sub annum cæpit millesimum ac septuagesimum, sic habe. Wilhelmo Nortmannorum Duce Angliâ poriente, missus ab hoc Helmsus Præsul est, qui hostium numerum ac robur exploraret. Dum facit hic imperata, fortè per eos dies gravi tempestate jactatur. Nullâ aliunde ope affulgente, Stellam maris MARIAM vocat. Adest pro hac è celo Nicolaus, spondet manum naufrago, si VIRGINIS Conceptæ diem habiturum se festum spondeat. Illico convenitur. Subsidit mare, enatat & vota Helmsus Sospitrici exsolvit. Atque hæc initia ampliora D. Anselmus fecit: amplissimi